



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 167. Rigensis Archiepiscopus carceri mancipatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

§. CLXVII.

Archiepiscopi Rigensis captivitas.

Pari vexatione Magnus Equitum Teu-
tonicorum Magister Silvestrum Ri-
gensem Archiepiscopum oppressit, eum-
que in arcta custodia detinuit. Hic idem
Magister nomine Henricus de Riserberg
vir erat austerus, ira præceps ac faribun-
dus; cumque dignitatis suæ auctoritate
inflatus esset, omnis admonitionis impa-
tiens erat. Equidem hujus Magistri fa-
vore ac benevolentia Sylvester ad hono-
rum gradus evehebatur, ac primum Or-
dinis Cancellarius, demum vero Archi-
episcopus Rigensis eo potissimum consilio
renuntiatus est, ut Magistro ad nutum
voluntatis suæ cæca obedientia deservi-
ret. Verum Archiepiscopus pastoralis
sui officii haud immemor gratitudini,
quam salva Religione præstare haud pot-
erat, honorem Ecclesiæ longe antepone-
bat; quapropter hac animi constantia
acrius in se Magistri concitabat invidiam,
huic ab initio nonnisi Christianæ patien-
tiæ scutum opponebat, ultimo tandem
Apostolicam severitatem adhibere com-
pellebatur. Nihilominus Magister Equi-
tum suorum auxilio suffultus Archiepi-
scopum in carcerem detrudit, quo facto
Equites spreto interdicto per totam Dice-
cesin

*Krantz. 15.
Wand. c. 16.*

Sæcul. XV.
A. C. 1478
cesin promulgato, Ecclesiæ arces occuparunt, atque privilegiorum diplomata, aliaque instrumenta ibidem reperta publice concremarunt. Cum vero cives pro Ecclesia contra Equites insurgerent, exinde acere non minus ac diuturnum bellum exarsit, ac plurima mala exorta fuere. Referunt Historici, hunc Archiepiscopum in vinculis fame necatum fuisse.

§. CLXVIII.

Diffensiones in Germania inter quosdam Episcopos, & FF. Mendicantes.

In Germania nonnulli Religiosi Mendicantes instituti sui limites prætergredebantur, cum sibi Pastoralis ministerii munia exercendi jus, facultatemque, inconsulto loci Ordinario ac cum præjudicio Parochorum arrogarent. Eorum ausibus oblucebantur Parochi, eisque nonnulli Episcopi, quos hujus controversiæ decisio magis premebat, suam quoque operam jungebant. Pontifex compertis hisce dissidiis totum negotium quatuor Cardinalibus committebat, qui causam maturo examini subjicerent. Ergo utrinque excipiuntur dissidentium rationes, cum vero Parochorum jura extra dubium posita essent, planum erat hujus nego-